

060

058

064

fuerint, dum viverent, ostendit illa erectio, erant enim in anima  
mortui, speciem tamen habentes ventum. Contigit aevo nostro  
in dioecesi Coloniensi in quadam villa, in qua rustici erant (b)  
partiti et discordes, capitales inimicitias gerentes. Interea duo  
actores et capitanei partium uno die defuncti sunt, quos dum se-  
pulturae traderent, ad parcendum laboribus ambos simul in unum  
terrae defossum injecerunt; quo facto, cunctis videntibus, sibi ipsis  
dorsa verterunt et impatientissimis motibus ambo agitabantur, nec  
quies fuit in tumulo, quoque separati fuerunt ab invicem, et  
mortui vitae praeteritiae rixosae testimonium tulerunt: sic et hic.  
Sunt enim multa prodigia inter Sarracenos, sed falsa et mendacia,  
ut patet.

Igitur pyramides dereliquimus, et fluvium transeuntes in Ba-  
byloniam novam venimus. Ibi pertransito longissimo vico ad arcus  
magnos et altos ac antiquos, marmore polito vestitos, venimus,  
quos puto fuisse arcus triumphales, erectos olim in memoriam  
praeteritarum victoriarum more Romanorum. Ab his arcubus in-  
gressi in unam civitatis Babyloniae partem venimus, cujus habita-  
tores omnes sunt Christiani Orientales. Ducti autem fuimus ad  
quandam ecclesiam, qua patefacta invenimus ecclesiam bene or-  
natam altaribus, picturis et tabulaturis, cum imaginibus passionis  
Christi, beatae Virginis, et cum crucibus, et in ea erat etiam  
baptisterium, quae omnia erant nobis facta quasi extranea, quia  
diu non in ulla ecclesia fuimus. Demum in cryptam, quae sub  
choro est, descendimus per aliquos gradus, et ibi ante altare  
prostrati indulgentias accepimus. Est enim locus hic singularis  
sanctitatis et devotionis, siquidem in illo loco fuit habitatio beatae  
Mariae Virginis cum pueru Jesu et Joseph, in quo mansit per  
aliquot annos; dum enim de terra Juda per desertum in Busirim  
venissent et de Busiri huc ingressi fuissent, mota sunt omnia  
templa Aegypti et statuae idolorum cum simulacris corruerunt,  
de quo prophetia dicit Esa. 19.: Ascendet Dominus nubem levem  
et ingredietur Aegyptum, et movebuntur simulacra Aegypti. Sicut  
enim in exitu filiorum Israel de Aegypto non fuit domus, in qua  
non jaceret mortuus, sicut patet Exodi XII., ita in introitu Christi  
non fuit templum, in quo non corruisset idolum, ut Magister in  
Spec. histor. dicit. De hoc casu idolorum dederat dudum ante

559

Ende

Anfang

